



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ioviani Pontani. De Aspiratione Libri duo. Charon
Dialogus. Antonivs Dialogus. Activs Dialogus. Aegidivs
Dialogus. Asinvs Dialogus. De Sermone Libri Sex. Belli,
Qvod Ferdinandvs Senior ...**

Pontano, Giovanni Giovano

Venetiis, 1519

De Principijs, & causis uirtutis huius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12960

De principijs, & causis uirtutis huius.

P rincipio res nostrae omnes posita sunt in motu. Motus autem ipse trahit nos ad agendum. Actio uero suapte natura est laboriosa. Causae uero quae ad agendum nos trahunt & utiles sunt, & uoluptatem praeseferunt, naturaliter enim & utilia appetuntur & iucunda. Itaque & utilia, & iucunda appetitionibus proposita sunt nostris. Et utilia quidem ipsa uix assequimur sine labore atque insudatione. Labor uero, actioque omnis cum non sit absque defatigatione, tum cessationem requirit, refocillationemque quasi quandam inter agendum, tum quietem postquam ad finem peruentum fuerit. Itaque & in progressionem rerum recreatio quaeritur, & in exitu quies. Recreationes autem ipsae, ac refocillationes, quietesque tum est rebus constant. ut cum euentus ipsi rerum felices sunt, atque est sententia, tum est uerbis, dictisque, cum ea iucunditate afferunt, ac delinitionem & dicendo, et audiendo, contra molestiam, tristitiam, maestitudinem, ubi & acerbata fuerint, & erummosa, animi quoque ipsum conscientia, Quod circa non est rebus solum, uerum etiam est dictis tum utilia manant, tum etiam iucunda. Manant autem est rebus utilia, ac iucunda, ut cum res ipsae fructum nobis afferunt, & cum profectu pariter iucunditatem, aut cum uoluptatem tantummodo. Manant item est dictis pariter, ut cum apud praetorem amicus nobis adest in causa apud iudicem, patrocinioque suo causam tuetur, paritque ex ea tum utile, tum iucundum. quid enim uictoria iucundius? sed nos hac in parte de ijs tantum dictis, ac uerbis rationem habemus, quae communi in consuetudine, animorum relaxationem quaerunt, atque ab labore remissionem, ipsisque a molestis. Quod circa dictiones huiusmodi nostrae, quae in contrahenda uita, hominumque uersantur societate, aut rigidae ipsae sunt, rusticatae, acerbatae, nimisque agrestes, animosque ipsos & perturbant, & grauius etiam afficiunt, nedum ut recreatio ni aduersetur, quae naturaliter, & sponte nostra quaeritur, aut cum delectare illae quidem student, id potius agunt, ut iocandi mediocritate relicta, aut turpe, obscenumque aliquid, aut parum consideratum, atque ingratum eorum qui audiunt, auribus infundant, quod ruborem afferat, aut stomachum moueat, aut nos ad eius qui dicit, ac dictorum eius irrisionem, ac contemptum inducant. Virumque sane uitiosum, quippe cum agrestis ille, ac rigidus naturae ipsi aduersetur, quae cum relaxationem a labore quaerat, ipse contra molestis eam praegrauet. hic scurrilis, atque obscenus (cum honestas a natu-

ra, rationeque ab ipsa proposita nobis sit) & illam dictis suis foedet, et se dum iucundum exhibere debet ac gratum, ridiculum potius apud audientes efficiat, ac contemptibilem, cogitque auditorem civilibus praeditum moribus, atque ingenuum ad demittendum os, atque oculos in humum, ad auresque auertendas ob dictorum obscenitatem, dicentisque ipsius aut conuiciationem, aut impudentiam, garrulitatemque. Vtrinque enim ita peccatur, ut alter mediocritatem defugiat, alter illam praegrediat, cum indecentia, atque astantium irrisione. Et hunc qui de moribus scripsere, Scurram uocant, qui Graece est βωμολόχος, habitumque Scurritatem, illum uero alterum Rusticum, nam Graece est ἄρπιος, defectumque ipsum Rusticitatem. De quibus, deque habitu medio antequam dicimus, non temere pauca quaedam praefabimur, quae cogniti digna quidem sunt, atque in ipso explicandi ingressu iure suo edisserenda.

Conciliabula inter cives fieri aut utilis, aut iucundi gratia.

Quod homines igitur natura sunt ipsa sociabiles, atque in unum conueniunt, tuendae rei tum publicae, tum privatae gratia, hinc quoque tamen si de utilitate minime agitur, congregantur tamen una nunc pauca admodum, nunc complures, tum ut naturae ipsi morem gerant, ac rerum necessitati, tum ut susceptorum delinitionem laborum inueniant, ac molestiarum. Itaque conciliabula ipsa, conuentusque aliis utilitatis, aliis relaxationis tantum sunt gratia, quibus in ipsis ridiculari autque queritur, sedationesque animorum, ac uitae difficilius recreatio, quam ei defatigationum ipsarum siue intermissio, siue soporatio quasi quaedam. His itaque siue conuentibus, ac conciliabulis, ciuiumque siue paucorum, siue multorum communioni et coetui, siue etiam conuictui, atque confessioni, propter refocillationem, iocata praeposita sunt, uerborumque relaxamenta, & privata quaedam (ut ita dixerim) spectacula, dictoriaque theatra lia. Oem autem et colloquendi, et congregandi, et dicendi siue affabilitatem, festiuitatemque, atque urbanitatem, siue comitatem, leporem, iucunditatemque quae in ipsis exerceatur, deque ipsis idem manet profuaturque ex dicendo ad iocata prorsus dictaque iocularia, atque ad facetias identidem referenda dicimus.

Triplex esse iocandi genus.

Iocandi autem in eiusmodi tum conuiciationibus, tum coronis, triplex genus statuimus, & quod seruire, maximeque degenerans est, quales ser